

Letter 101: 31 July 1521, [Halle?], Capito to Andreas Althamer

Printed in J.A. Ballenstedt, *Andreae Althameri Vita* (Wolfenbüttel, 1740), pp. 75-6.

Andreae Palaeosphyrae, bonarum litterarum haud infeliciter docto, amico observando,
Wolfgangus Capito.

5 Hic est puer, quem tibi commendavi nuper, indolis rarae ac vividae, sed adhuc rudis. In
eo potes industriae tuae exemplum edere, bonique praeceptoris argumentum, quem si amplexus
fueris, formaverisque iuxta captum eius, meamque de te exspectationem, solidos parabis amicos,
Iodocum Buchamerum, non vulgarem medicum, Capitonem, demerendis amicis reddendoque
beneficio studiosissimum. Arridet gustus lucubrationum tuarum, gratissimus est conatus, qui
10 mecum solem observare propendentes in publica commoda. Exerce stilum et mollescet et
potentior erit magisque nervosus. De E[u]nucho recitando respondit Wesamerus. Vale Prid. Cal.
Aug. a. XXI.